



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Quæst. 6. In quo consistat, & per quid constituatur immensitas, atque
vbiquitas, siue præsentia vbique Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](#)

Sed in spatiis imaginariis nihil ad extra operatur. Ergo in illis præsens non est. Nego maiorem. Quia nullum ens constituitur præsens localiter per operationem, vt constat ex vniuersali doctrina de præsentibus localibus tradita supra disput. 5. Deumque per operationem speciatim non constitui præsentem ostendetur quæst. 6. Ex quibus omnibus facile ab unoquoque diuenda venient cetera, si quæ opponantur contra nostram propositionem.

QUÆSTIO VI.

In quo consistat, & per quid constituitur immensitas, atque ubiqutus, sive præsentia ubique Dei.

Multi Theologi immensitatem Dei ab eius ubiquitate, sive præsentia ubique distinguunt; censentes, immensitatem prædicatum esse omnino intrinsecum Deo, ubiquitatem vero, sive præsentiam Dei ubique aliquid Deo extrinsecum addere. Aliqui vero immensitatem Dei, & eius ubiquitatem, sive præsentiam ubique pro eodem usurpat. In coquendo subinde conspirare videntur, vt immensitas idem supra entitatem Dei extrinsecum addat, quod addit ubiquitas, sive præsentia Dei ubique.

Porro Aureol. in 1. distinct. 37. quæst. vni. artic. 1. putat, præsentiam Dei ubique formaliter, & ultimatè constitui per aliquid negationem. Consistere enim formaliter in indistinctiâ Dei à loco, sive à rebus, quibus præsens dicitur, que pro formaliter importat negationem distinctiæ. Gilli. vero lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 8. Fafol. 1. par. quæst. 8. artic. 1. dub. 5. & Smifing. tract. 2. de Deo vno disput. 5. quæst. 1. num. 6. et si in conceptu præsentia Dei ubique includant dictam negationem distinctiæ, dicunt rāmen, non per illam, sed per relationem positivam simulatius cum creaturis constitui ultimò præsentiam Dei in illis, quam vocant relationem rationis.

Alij præsentiam Dei in rebus in operatione, qua Deus in illis operatur, dicunt consistere. Quæ sententia tribuitur S. Tho. in 1. distinct. 37. quæst. 1. artic. 2. & quæst. 2. artic. 1. & 3. & lib. 3. contra Gent. cap. 68. & 1. par. quæst. 8. artic. 1. & 2. Estque plurium Thomistarum, qui relati apud Gilli. videri possunt lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 10. & apud Fafol. 1. par. quæst. 8. artic. 1. dub. 5.

Alij denique præsentiam Dei ubique in denominatione quadam semiextrinsecâ consistere dicunt coalescente re ipsâ ex entitate Dei, ex rebus, aut etiam spatiis localibus, quibus Deus dicitur esse præsens. Ita Recupit. lib. 4. de Deo quæst. 11. referens pro hac sententiâ Egid. Marf. Aens. & Bonau. Pro qua etiam stant in re Vazq. 1. par. quæst. 8. circa artic. 4. Ribas tom. 1. Sum. theolog. tract. 2. disput. 4. cap. 6. & plures alij.

Iam vero ex ijs, qui immensitatem ponunt adæquatè intrinsecam Deo, alijs censem, consistere eam in quantitate, sive extensione virtuali, quam dicunt Deum secum identificatam,

habere, à qua habet, posse, imo & debere, necessariò esse præsens omnibus locis, ac rebus extensis localiter; sicut corpora id ipsum habent à sua quantitate formaliter. Ita Gilli. supra cap. 9. Fafol. dub. 6. Martinus disput. de Deo sect. 3. Ribas loco citato, & plures alij. Quorum plerique quantitatem, sive extensionem virtualem appellant illud Dei prædicatum, quod, cum inse sit quadam formalitas simplex, non solum realiter, sed etiam formaliter ratione nostra, & virtualiter in se, eo solum nomine quantitas, sive extensio virtualis Dei nuncupatur, quatenus Deus ab eo potens, atque necessitatus euadit ad essendum intimè præsens omnibus rebus, & spatiis localiter. Qui sane in re non dissentient à Soar. disput. 30. Metaph. sect. 7. à num. 44. Raynand. in Theolog. natur. distinct. 7. quæst. 1. num. 84. Recupit. vbi supra, & alijs de immensitate Dei intrinsecâ perinde philosophantibus, atque de præsentia positiva intrinsecâ rebus creatis, nisi quod hæc, ut pote diuisibilis, per suarum partium localem distributionem ponit suum subiectum (eo fit illud indiuisibile ut Angelus) in diuersis partibus spatiij localis, illa vero, ut pote indiuisibilis, non itidem, sed per sui totius replicationem, ut expressit Martin. disput. 5. de Deo citata, sect. 5. Nonnulli vero præsertim Recentiores, quibus consentire videntur Ribas vbi supra, & Carleton disput. 13. Phys. sect. 6. num. 6. longè alteri philosophantur de extensione Dei virtuali. Putant enim, consistere eam in prædicato Dei ex tot formalitatibus virtualiter inter se distinctis composto, quod sunt partes spatiij localis infiniti circumquaque, cui Deus præsens est: per quatum vnamquamque seorsim in vnaquaque parte spatiij, non item in reliquis, dicunt Deum reddi præsentem re ipsâ, & formaliter. Itaque dicunt, non à formalitate sibi intrinsecâ, à qua Deus habet esse præsentem Romæ, habere etiam esse præsentem Matri-
ti, sed ab alia distinctâ ab illâ virtualiter. Aqua, inquit, distinctione virtuali nascitur, ut de duabus formalitatibus Dei realiter identificatis duo prædicata ex se contradictoria possint sine repugnantiâ verificari; nempe de vna, esse præsentem Romæ, de alterâ, non esse præsentem Romæ; de hac esse præsentem Matri-
ti, de illâ non esse præsentem Matri-
ti, iuxta modum philosophandi de formalitatibus Dei virtualiter inter se distinctis circa mysterium Trinitatis. De quo nos latè in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 5. & 7.

Porro omnes Tgeologi commemorati communiter aut exprimunt, aut supponunt, immensitatem Dei quouis ex prædictis modis acceptam attributum ipsius Dei esse ab alijs omnibus diuersum, qua ratione diuina attributa inter se diuer-
sificantur, vno dumtaxat (quod sciām) excepito Smifing. afferente vbi supra, immensitatem Dei quoad intrinsecum cum diuinâ immutabilitate, atque infinitate conincidere, diuersumque ab his duobus attributum non esse quoad intrinsecum.

Propositio I.

Arbitror immensitatem Dei ab ipsis
Dei ubiquitate, sive præsentia ubique in-
quaquam distingui iuxta communem mo-

A A dum

dum concipiendi, loquendique de hoc attributo, non solum à vulgo, sed etiam à Patribus, Theologisque antiquioribus usurpatum. Tametsi ex modernioribus multi aliud nomine immensitatis, aliud nomine ubiquitatis, sive præsentie ubique censemant intelligendum. Diversum tamen purè est de modo loquendi.

Hæc pars posterior propositionis certa est, Quia, cum apud omnes sit in confessione nomine ubiquitatis, sive præsentie Dei ubique significari conceptum obiectuum complectentem non solum intrinsecam Dei entitatem, sive formalitatem, sed insuper illud extrinsecum, cui Deus actualiter præsens dicitur esse, sive illud sit solus Mundus existens cum omnibus suis creaturis, ut aliqui putant, sive sit insuper spatum locale extra Mundum circumquaque infinitè extensus, ut censem alii; compertum est, quæsiōnem, sive diversum esse dumtaxat de modo loquendi, an nomine immensitatis idem omnino conceptus obiectivus significandus sit, an potius sola entitas, sive formalitas Dei inclusa in illo.

Quod autem idem omnino conceptus obiectivus significetur de facto nomine immensitatis juxta communem concipiendi, loquendique modum, non solum vulgi, sed etiam Patrii, & Theologorum antiquiorum, quæ est prior propositionis pars, ex ipsa etymologia nominis videtur imprimis inferri: nam immensurabilitas, quam praefecit, id est Deo attribuitur; quia concipiatur adeo extensus, ut immensurabilis censematur, ut siue propteræ immensus quasi immensurabilis dicitur. Huiusmodi autem extensionem non habet entitas Dei per se præcisæ, ut pote omnino indivisibilis, sed prout præsens per suique totius replicationem, ac velut repetitionem extensa in spatio extenso, ut pote ex partibus diversis extensionis composito.

Deinde idem ipsum ex eo colligitur, quod Patres Deum prout immensum sèpè sèpius magnum appellant, magnitudine scilicet propriæ, formali, & extensiæ localiter, qualis ei conuenit specialiter titulo immensi, & quam prout in se præcisæ non habet actu, sed prout præsens actu in magno, seu valde, aut etiam infinitè extenso spatio locali. Audiamus aliquot eorum testimonia. Dionys., cap. 9, de diuinis nominib. ait, Magnus Deus nominat secundum magnitudinem ipsius, quæ extra omnem magnitudinem & superficiem, & superextensa omnem locum continet. Origen. lib. 1. in Iob, super illud, Factum est quasi dies, &c. Cuncta, inquit, eius continet magnitudo. Athanas. contra Gregales Sabellij multo post medium ait, Ne inquiras magnitudinem loci tam spatiostam, quæ capere possit Dei magnitudinem: non enim id, quod immensurabile est, in mensurato contineri poterit. Ambros. lib. 2. in Lucan ad illud cap. 1. Hie erit magnus. Bene, inquit, magnus; latè enim funditur Dei virtus: latè ecclesiæ substantia magnitudo porrigitur. Chrysost. in illud Psal. 9. Qui habitat in Sion, ait, Habitacionem hic dicit, non loco circumclusi: est enim infinita eius magnitudo. Auctor libri de Speculo apud August. tom. 9. cap. 22. ea habet verba, quæ usurpat etiam Isidor. lib. 1. sentent. de sum. bon. cap. 2. s. 3. Immensitas diuinæ magnitudinis tua ita est, ut intelligamus te intra omnia, sed non inclusum, extra omnia, sed non exclusum. Quæ sententia legitur etiam in august. lib.

de essentiâ diuinitatis initio, vbi item habetur; Immensus est Deus: quæ quantitas eius à nullâ ex creaturis metiri potest. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 8, initio dicit, Deum esse exteriorem cunctis rebus per magnitudinem. Similiaque habent Hieron. in Isaia 66. paulò post principium, Rupert. lib. 7. in Genes. cap. 23. Alcuin lib. 2. de Trinit. cap. 4. & alij, Faciuntque ea omnia loca sacra Scriptura, quæ Deum magnum prædicant a magnitudine, quæ illi conuenit ratione immensitatis.

Praeter idem ipsum ex inde veluti à priori probatur. Quia immensitas Dei ex genere eorum attributorum est, quæ semiextrinseca nuncupamus iuxta doctrinam vniuersalem de differentijs attributorum supra disper. 2. traditam; in fuoque prout conceptus reali, præter formalitatem Dei intrinsecam, illud extrinsecum inuoluit de connonato, respectuè ad quod à nobis concipiatur, etiam prout nomine immensitatis significatur. Quemadmodum attributum omnipotentia, prout significatur hoc nomine, ex eodem genere est, ut supra disper. 4, quæst. 2. tetigimus, & fuisis ostendemus suo loco. Sic enim Deus non diceretur simpliciter, & absolute omnipotens, seu, quod idem est, omnia potens casu, quod, permanente Deo, omnia ipsa desinerent possibilla esse; indeque inferimus evidenter, in conceptu reali omnipotentia, atque adeo etiam omnipotentia ipsorum omnium possibilitem de connonato includi. Ita quoque non diceretur Deus simpliciter, & absolute immensus casu, quod actualiter non esse: ubique: eo quod, ipso permanente, nullus omnino locus estet, in quo ipse esse dici posset. Indeque pariter venit inferendum in conceptu reali immensi, atque adeo etiam immensitatea omnia extrinseca de connonato includi, à quibus Deus semiextrinseca denominatur præsens ubique. Et consequenter immensitatem, & ubiquitatem, seu præsentiam ubique Dei cumdem omnino conceptum obiectuum esse, juxta communem concipiendi, & loquendi morem.

Caterunt, quanquam hæc ita sint, quia multi nomine immensitatis dumtaxat formalitatem intelligunt intrinsecam Dei, quam ubiquitas, sive præsens ubique Dei importat in recto, & à qua Deus formaliter euadit determinatus, sive necessitatus ad effundendū ubique, idcirco nos claritatis gratia duplēcē Dei immensitatem, cum opus fuerit, distinguemus; alteram intrinsecam, consistenter præcisæ in formalitate prædictæ; alteram semiextrinseca addentem insuper ex connonato spatia localia, aut etiam res in eis existentes, quibus Deus dicitur præsens. Quæ ipsissima est ubiquitas, sive præsens ubique Dei in omnium phrasí.

Propositio 2.

Præsens ubique Dei nullam importat in suo conceptu reali veram negationem, seu veritatem negariam.

Est contra Aureolum, & alios citatos numeri 117. Probaturque. Nam indistincta, quæ Deus dicitur esse indistans ab omni re, & spatio locali, aliud non est re ipsa ab ipsa præsenti positiua, quæ illis præsens est, concepta, & significata à nobis per modum negationis distantia, & quæ, ac identitas positiva extremonrum per negationem distinctionis concipi, & significari solet, cum dicuntur

eur talia extrema indistincta. Itaque sicut distin-
ctio, & indistinctio, connexio, & inconnexio,
æqualitas, & inæqualitas, aliaque huiusmodi;
sic distantia, & indistantia duo extrema positiva
sunt inter se contrariæ opposita, tametsi alterum
à nobis per modum negationis alterius significet
& concipiatur; prout ex doctrina vniuersali
de negacionibus dicitur in Pharo Scient. disp. 9.
quæst. 3. & 4. & disput. 10. quæst. 4. facile quisque
potest colligere, quatenus per illam ostenditur,
præter negationes excludentes entia non existen-
tia ab statu existentiali, nullas alias dari reuerā
negationes, seu veritates negatis. Circa quod
etiam videri possunt, qua de attributis Dei negati-
viis diximus supra disput. 2. quæst. 3.

Propositio 3.

128 Præsentia, qua Deus in rebus, aut
præsens rebus dicitur esse, nequaquam
in operatione, qua in illis operatur, con-
sistit.

Est contra Autores citatos num. 118. Et
probatur primò. Quia, si præsentia, qua Deus
in rebus, aut præsens rebus dicitur esse, in ipsius
operatione consisteret, Deus non esset in rebus
diuerso modo per essentiam, ac est per potentiam:
quia tam per essentiam, quam per potentiam
esset in rebus mediæ operatione, & non aliter.
Hoc autem contra communem doctrinam est Mag-
istri, S. Thomæ, & omnium Theologorum di-
stinguendum in Deo modum, quem habet, esen-
di in rebus per essentiam, sive per suam substi-
tantiam à modo, quem habet, esendi per poten-
tiæ mediante operatione, prout statuimus
quæst. 3. proposit. 1. Quos duos modos esendi
in rebus per substantiam, & per potentiam seu
per operationem frequenter item distinguunt Pa-
tres in Deo; ut videtur est in Athanas. lib. de Incir-
cunscripto, Ambros. lib. 2. in Lucam, August.
lib. 7. de Ciuit. cap. 30. Cyprian. Dec. 7. cap. 1.
Anastas. Synai. lib. 2. de rectis fidei catholice
dogmatibus in tom. I. Biblioth. Patrum, Nyssen.
Orat. 1. de Christi resurrect. Fulgent. de fide ad
Petrum cap. 12. Hugo Victor. lib. 7 erudit. di-
dicat. cap. 19. Ricard. Victor. lib. 2. de Trinit. cap.
23. Phot. in quæst. ad Amphil. cap. 75. &
alii.

129 Secundò probatur. Quia, ut ostendimus
quæst. 5. Deus extra Mundum est præsens in toto
spatio locali circumquaque infinitè extenso, vbi
nullam ad extra exercet operationem. Ergo præ-
sentia eius nullatenus consistit in operatione,
ad huc intra Mundum, vbi eam exercet.

130 Tertiò probatur. Quia denominations
sive effectus formales præsentis alicubi, & ope-
rantis manifestè sunt inter se diversi, atque
etiam separabiles; quandoquidem bene potest
intelligi quodvis ens præsentis alicubi, quin opere-
tur. Ergo ab eadem formâ, videlicet ab opera-
tione, non possunt provenire, sed à diversis ne-
cessariò prouenire debent.

131 Quartò. Quia, si sit sermo de præsentia
Dei in spacio locali, hæc necessariò presupponit
prioritate saltem natura ad operationem: eo
quod Deus non potest operari in aliquo spacio lo-
cali, nisi illi quodammodo approximatus, atque
adeò aut in illo, aut in contiguo præsens præsup-
ponitur iuxta doctrinam statutam supra quæst. 1.
proposit. 3. Si autem sit sermo de præsentia Dei

in rebus existentibus, atque adeò ab ipso produ-
ctis, ad hanc ipsarum rerum existentia, & con-
sequenter operatio per quam fiunt, presuppo-
nitar: quia talis præsentia consistit in coexisten-
tia Dei, & rerum in eodem spacio locali; prius
que natura est, vnumquaque existere, quam
alteri in eodem spacio locali coexistere, qua
prioritate quævis pars prior natura est, quam
fiuum totum. Nequit igitur præsentia aliqua
substantia diuinæ formaliter in ipsius operatione
consistere.

Quintò. Quia præsentia localis rerum
creatarum neutram in earum operatione con-
sistit, vt constat ex generali doctrinâ traditâ
supra disput. 5. Igitur neque præsentia loca-
lis Dei consistit in eius operatione. De vtrâ
que enim, quod ad rem attinet, eadem ra-
tio est.

Sextò. Quia immensitas, sive præsentia,
vbique Dei ita est prædicatum transcendentis ei-
sentiam, & attributa omnia diuina, ut vnicuique
eorum per locum intrinsecum præscindendo
ab alijs conueniat. Verumque subinde per lo-
cum intrinsecum est, Deum cum ceteris omni-
bus suis attributis vbique nihilominus fore,
etiam si omnipotens, & ad extra operatius non
esset, dummodò in tali hypothesi spatio localia,
aut etiam res, quibus esset præsens, aliunde,
quam à Deo ipso subsisterent. Ergo præsen-
tia Dei in operatione, quæ sine omnipotentia eius
nequit per locum intrinsecum stare, nequaquam
consistere potest.

Septimò. Quia Deus à formalitate sibi
identificata, quam præsentiam ipsius intrinse-
cam, & quasi in actu primo dicimus, habet po-
tissimum, esse præsentem omni spatio, & omni
rei, suppositis ipsis spatiis, & rebus: quemad-
modum creatura à præsentia sibi inhærente ha-
bet potissimum, esse præsentem spatio, cui ta-
lis præsens correspontet, atque etiam alijs
rebus existentibus in tali spacio, suppositis ipso
spatio, & rebus, iuxta doctrinam etiam tradi-
tam disput. 5. Ob idque tam, Deum, quam,
creaturam alicubi esse præsentem, perfectionem
præfert Deo ipsis, creaturæque intrinsecam,
vnicuique suo modo iuxta dicta etiam superius
quæst. 1. Non igitur ab operatione sibi extrinsecè
tanquam à formâ potest Deus eiusmodi perfe-
ctionem sortiri. Atque adeò neque in tali ope-
ratione præsentia, qua Deus est præsens rebus,
potest consistere. Mitto alia. Nam hæc satis ad
persuadendam propositionem.

Propositio 4.

Deus non à præsentia sibi superaddi-
tâ, & inhærente, (vt pleræque creatu-
ræ iuxta dicta disput. 5. quæst. 1.), sed
à se ipso est determinatus ad existendum
in quolibet spacio locali, seu loco imagi-
nario ex suppositione, quod tale spatiū
reuerā est, qua ratione est, iuxta dicta su-
pra quæst. 5.

Hæc propositio certissima est apud omnes.
Quia Deus huiusmodi accidentium sibi inhæ-
rentium capax non est, vt ostendimus inferius
disput. 10. A seque ipso habet eminentiore quo-
dammodo secum identificatam, ab omni que

A A 2 depu-

depurata imperfectione omnem perfectionem, quam ab accidentibus superadditis, & sibi inherenteribus solent creature fortiri iuxta dicenda etiam inferius disput. 16. Cuiusmodi est praesentia intrinseca determinans ad essendum in loco, sive in spatio locali in ea, quae dicebamus quæst. 1. In quo hic non est amplius morandum.

135 Ex hac propositione infertur, in hoc, quod est, Deum esse praesentem actualiter omni spatio locali, nullam aliam entitatem intervenire, prater entitatem diuinam, & ipsum spatum locale. Quomodo autem interueniant, ex dicendis proposit. 5, apparebit.

Propositio 5.

136 Praesentia actualis, qua Deus in omni spatio locali, seu loco imaginario, aut praesens illi dicitur esse, denominatio semieextrinseca est, seu potius actus semiextrinsecus includens in suo conceptu reali, præter entitatem diuinam ipsum spatum locale; illam quidem in recto sive directe, hoc vel in obliquo, sive de connotato. Formaliter tamen sumpta, prout à nobis concipitur, relacio quedam rationis est, non ficta, sed supposititia.

Prima pars propositionis ostenditur primò. Quia ad praesentiam actualem Dei in spatio locali ipsum spatum locale est necessario requisitum, Sed non est requisitum extrinsecè vt terminus connexionis eius. Ergo est requisitum intrinsecè vt constitutivum ipsum. Consequens est evidens ex se, & ex demonstratis in Pharo Scient. disput. 9, quæst. 5, quia inter requiri extrinsecè vt terminum connexionis, & requiri intrinsecè vt constitutivum, compertum est, non dari medium. Maior verò non minus est evidens; quia si spatum locale desineret esse, qua ratione est, confessim Deus non posset dici cum veritate, neque esset actualiter praesens illi, ipsumque proprietate ad actualem Dei praesentiam in illo manifestè requisitum est. Minor autem facile demonstratur. Quia, cum entitas Dei, & spatum locale dumtaxat interueniant in hoc, quod est, esse Deum actualiter praesentem spatio locali iuxta certissimum consecutarium proposit. 4, requiri spatum locale ad actualem Dei praesentiam in illo vt terminus connexionis eius, effet requiri ad entitatem Dei ab ipsa praesentia indistinctam vt terminus connexionis eius. Ast spatum locale sic non requiritur ad entitatem Dei: quia entitas Dei neque cum spatio locali, neque cum alio quopiam à se distincto connexa est, vt supra disput. 4, quæst. 2, latè ostendimus. Igitur spatum locale non vt terminus connexionis extrinsecus, sed vt constitutivum intrinsecum, atque adeò in ipsa inclusum, est requisitum ad actualem Dei praesentiam in ipso. Quod erat ostendendum.

137 Secundò probatur, eadem pars. Quia praesentia actualis Dei in spatio Romano, & praesentia actualis Dei in spatio Matritensi reipsa sunt distincta inter se. Quandoquidem ex eo, quod Deus desineret actu esse praesens spatio Romano ex ipsis spatiis deficiet, non desineret actu esse praesens spatio Matritensi, hoc non desiciente,

vt e? manifestum. Ergo prior praesentia aliiquid includit in suo conceptu reali distinctum reipsa ab aliquo inclito in posteriori; alioquin non distinguerentur inter se reipsa, vt sit notum. At ista distincta in talibus praesentijs inclusa alia esse non possunt ab spatijs Romano, & Matritensi; quia residuum ipsarum solus Deus est iuxta consecutarium proposit. 4, & Deus non distinguitur à se ipso, vt constat. Igitur prior praesentia spatiu Romanum, posterior vero spatiu Matritense includunt in suo conceptu reali. Tantumdemque subinde est de praesentia actuali Dei in quouis alio spatio locali, seu loco imaginario,

Tertiò probatur eadem pars. Quia praesentia actualis Dei in spatio Romano, & praesentia actualis Dei in spatio Matritensi reipsa sunt inter se distantes, vt est manifestum: nam alias Deus prout actu præsens Roma est actu præsens Matriti, & vice versa, spatiaque subinde Romanum, & Matritense inter se penetrantur. Quod est absurdum. Ergo praesentia actualis Dei in spatio Romano, & praesentia actualis Dei in spatio Matritensi aliqua inter se reipsa distantia, includunt in suo conceptu reali, vt constat. Hæc autem alia ab spatijs ipsis esse non possunt: quia Deus, quem solum insuper induunt, per se præcise à se ipso distans esse non potest, vt etiam constat. Pariterque venit censendum de ceteris praesentijs Dei actualibus in ceteris spatijs.

Quarto probatur. Quia extensio actuæ 139, sua, qua Deus actu extensus est à Matrito usque ad Romanum, non est cum Deo identificata adæquatè: quia Deus per se præcise nequit esse extensus actualiter, cum sit indivisibilis, vt amplius constabit ex dicendis proposit. 9. Ergo, præter entitatem diuinam, ipsam spatiij extensi à Matrito ad Romanum extensionem includit in suo conceptu reali. Quod ipsum est, praesentiam actualem Dei in spatio à Matrito usque ad Romanum extenso in suo conceptu reali in cludere spatiū, ipsum, vt propositio data fert. Nam aliud in cludere nequit iuxta consecutarium sapientiam proposit. 4.

Quintò denique. Quia praesentia actualis 140 Dei in spatio locali non est identificata adæquatè cum Deo: quandoquidem si, permanente Deo, desiceret spatum locale, non esset Deus actualiter praesens in illo, vt constat. Ergo est identificata partim cum Deo, & partim cum spatio locali. Quod ipsum est, tam spatum locale, quam Deum in eius conceptu reali intrinsecè includi. Vel aliter clarius. Id, quo præcise deficiente, desiceret aliqua essentia, aut est ipsa tota essentia, aut pars eius; vt demonstratum est in Pharo Scient. disput. 9, quæst. 5. Sed si desiceret spatum locale præcise, desiceret praesentia actualis Dei in illo, vt constat. Ergo spatum locale, vel est tota ipsa praesentia, vel pars eius. Non tota; quia entitas Dei includitur in illa, vt est notum. Ergo pars. Quod ipsum est iterum, tam spatum locale, quam Deum includi in conceptu reali dicta praesentia.

Quod autem in conceptu reali dicta praesentia includatur entitas Dei in recto & spatum locale, cui Deus per illam est actu præsens, in obliquo, ex generali doctrina de eiusmodi denominationibus sive actibus semieextrinsecis tradita in Pharo Scient. disput. 2, quæst. 4, & disput. 8, quæst. 2, & 3, & disput. 12, quæst. 3, & disput. 14, quæst. 1, constat. Quod denique dicta praesentia actuæ

a&actualis (sicut & ceteri huiusmodi semiextrinseci actus) sumpta formaliter, & prout à nobis concipiatur, si quædam relatio rationis, non facta, sed supposititia, & qualiter, ex generali etiam doctrina tradita in Pharo locis citatis, qua ad rem sunt recognoscenda, constat similiter. Quo tota nostra propositio manet probata.

Propositio 6.

¹⁴² Præsentia actualis, qua Deus per suam substantiam in omnibus rebus, aut illis intimè præsens dicitur esse, actus item semiextrinsecus est includens in suo conceptu reali, præter entitatem diuinam, tum ipsas res prout præsentes in suo spacio locali, tum ipsum earumdem spatium locale.

Hæc propositio eisdem argumentis, quibus præcedens, & potiori iure venit probanda. Cum sit certissimum, cùm, quod solum res existentes, de quibus est sermo, cum suis præsentijs localibus deficerent, fore, ut & præsentia actualis Dei in illis deficeret. Ex quo sequitur evidenter, tales res cum suis præsentijs localibus in tali Dei præsentia actuali intrinsecè includi iuxta ultimum argumentum factum pro precedente propositione. Quam inclusionem pariter per cetera argumenta ibi facta, & hoc applicata poterit unusquisque probare. Ob id illa non repeto.

¹⁴³ Quod autem dicta præsentia Dei in rebus includat insuper in suo conceptu reali spacio locali, in quo res ipsæ præsentes sunt, inde constat: quia sermo est de præsentia Dei in rebus immensitatis propriâ, qualis est tantum præsentia Dei in rebus localibus, sive in rebus prout existentibus in eodem spacio locali simul cum ipso Deo. Quæ proinde nihil disert ab intimâ, & actuali penetratione Dei cum rebus in eisdem spatiis localibus, in quibus illæ præsentes sunt. De qua penetratione tum ex terminis ipsius, tum ex iam dictis satis superque compertum est, includere in suo conceptu reali, præter entitatem diuinam, & res ipsas cum suis præsentijs, & spatio localia, in quibus Deus cum illis penetratus est. Quandoquidem, quolibet horum deficiente per possibile, vel impossibile, & ceteris omnibus permanentibus, non maneat Deus actualiter penetratus cum rebus in eisdem spatiis localibus, in quibus illæ præsentes sunt, prout ex se notissimum est. Vnde evidenter infertur, ut nuper dicebam in simili, quod quis eorum in diæ Dei penetratione intrinsecè includi. Vtrum autem Deus in rebus solis independenter ab spacio locali intimè præsens concipi possit, aut etiam reuerâ esse alio præsentia genere, ex dicendis quæst. 8. constabit.

¹⁴⁴ Quomodo autem prædicta Dei actualis præsentia in rebus includat in suo conceptu reali directè quidem entitatem diuinam, & oblique res cum suis præsentijs, & spatio localia, in quibus illæ præsentes sunt. Quomodo item sumpta formaliter, prout à nobis concepitur, relatio quædam rationis sit, non facta, sed supposititia; ex doctrina indicata in simili num.¹⁴¹ constat. Quæ in locis Phari Scient. ibi citatis videnta est.

De præsentia actuali Dei in locis rea-¹⁴⁵ libus per inde philosophandum est, quod attinet ad eius conceptum realem, & formalem, ac de præsentia actuali Dei in rebus est philosophatum proposit. 6.

Quia, licet paulò aliter dicatur Deus esse, præsens in locis realibus, ac dicitur esse præsens in rebus iuxta dicta supra quæst. 4. quod attinet verò ad conceptus reales, & formales, eadem profus vtriusque præsentie philosophia est, vt ex dictis in præcedentibus facilimè quisque potest colligere.

Propositio 8.

Immensitas, sive præsentia intrinseca,¹⁴⁶ & quasi in actu primo Dei neutiquam est ita virtualiter extensa, atque ex diuersis formalitatibus virtualiter inter se distinctis composita, vt per earum singulas singulis locis, singulis ve partibus spatijs localis feorim corresponeat.

Hæc propositio est contra Recentiores supra num. 120, commemoratos; adeoque certam mihi videtur, vt nesciam, qđ possit oppositam defendi. Nam iuxta illam necessariò dicendum est contra communem consentum Patrum, & Theologorum ex sacris Scripturis de promptum, non totum Deum esse ubique: quandoquidem iuxta illam formalitas reipsa identificata cum Deo, per quam ipse est præsens Romæ, non est præsens Matriti, & formalitas, per quam est præsens Matriti, non est præsens Romæ, & in ceteris pariter. Quod est à singulis locis, sive partibus spatijs localis reipsa deesse omnes formalitates identificatas cum Deo, per quas ipse ceteris omnibus correspondet; & consequenter totum Deum reuerâ non esse integrum ubique. Quam autem sit absurdum concedere, non totum Deum esse ubique, impri-mis constat ex testimonij Patrum oppositum expressè afferentibus. Ambros. in libello de dignitate conditionis humanae cap. 2. initio. Deus unus semper ubique totus est. Hilar. in illud Psal. 118. Prope es tu domine. Adebat ubique, & totus ubique est. August. epist. 112. ad Paulinum de Deo videndo cap. 11. Ubique totus est. & lib. de cognitione veræ vitæ cap. 29. Ubique, scilicet in omnibus, & extra omnia, est totus. Fulgent. lib. 2. ad Moninum ante medium. Tota Trinitas sic localiter nusquam, vt tamen nusquam defit; atque ita est ubique tota, vt nec per partes creature totius particulariter diuidi, neque universitate totius possit creature concludi. Damasc. lib. I. fidei cap. 16. Totum totaliter ubique existentem, totum in omnibus, & totum super omnia. Ricard. Victorin. lib. 2. de Trinit. cap. 23. Erit itaque in quantulacunque cuiuslibet parte totius totus, & in totu totus, & extra totum totus. Similiaque habent alij. Deinde id ipsum haud dubie probant cetera omnia testimonia Scripturæ Patrum, & Theologorum tum quæst. 1. tum alias in præcedentibus commemorata, quibus ut certum secundum fidem afferitur absque ullâ limitatione, Deum ubique esse. Quod enim de Deo absque

absque illâ limitatione affirmatur, de toto haud dubie, & integro Deo intelligitur affirmatum, non de Deo manco, & diminuto, aut de parte Dei, quale est, quod superest, aliquibus eiusdem Dei formalitibus seclusis. Quinimo, si non de toto, & integro Deo affirmarent, vbiique esse, Scriptura, Patres, & Theologi, id utique non de vero Deo, qualis est dumtaxat totus, & integer, sed de chymérico affirmarent. Quod quām si etiam absurdum, neto non videt. Itaque concedere non totum Deum esse vbiique, haud dubie non est tutum in fide. Id autem plāne concedunt Adversarij, cum dicunt non omnes formalitates diuinæ vbiique esse, sed in unoquoque loco, in unaquaque p[er] te spatiij localis esse præsentem aliquam Dei formalitatem, quæ in ceteris præsens non est.

¶47 Secundò probatur propositio, Quia, si sententia opposita vera esset, Deus revera non esset immensus quod omnes suas formalitates. Quod est etiam absurdum, Quia immensitas attributum est circa dubium transcendentis omnes diuinæ formalites: sicuti bonitas, veritas, infinitas, & alia i[us] gen[us].

¶48 Testio probatur. Quia, quo iure adstruuntur ab Adversarijs in Deo pro diversis locis, sue spatijs localibus diversæ formalitates virtualiter inter se distinxerunt, & singulis eorum seorsim correspondentes, eodem omnino debent adstrui in Deo pro diversis temporibus, sue spatijs temporalibus diversæ formalitates etiam distinxerunt virtualiter, & singulis eorum pariter correspondentes seorsim. Quo fieri, ut integer Deus nec extiterit ab æterno, nec sit extiturus in æternum, sed singulis momentis temporis totidem eius formalitates de novo incipiunt existere, & totidem extiterunt definiti; tamen omnes, dum existunt, reali[er] sint idem cum ipso Deo. Quæ manifestè sunt absorda maiora; & quæ iuxta principia fidei concedi non possunt.

¶49 Quarto probatur. Quia necessitas essendi vbiique perfectio est impliciter simplex, ita conuentens formalitatibus diuinis eo titulo, quod sunt diuinæ, ut sine illâ imperfecta forent, aut certè minus perfectæ, quam deberent. Ergo impossibilis sunt formalitates diuinæ, quibus non conueniat, quales in Deo adstruuntur ab Adversarijs. Siquidem neque illa Dei formalitas potest esse minus perfecta, quam deberet, neque illi habent titulum diuinæ, uti omnes habent, potest esse perfectio, quam cetero eo titulo habent, ut est norissimum.

¶50 Quinto denique probatur. Quia, ut ostendimus in Pha[ro] Scient disput. 13. quæst. 6. formalitates realiter formaliter identificatae non sunt afferenda, adhuc in Deo, distinxerunt se virtualiter in ordine ad prædicata contradictione absque necessitate extrema, quam proximè, aut remotè erget fides. Sed in casu, quem veramus, nulla est huiusmodi necessitas à fide oriunda; cum potius necessitas opposita à fide videatur enasci iuxta argumenta facta. Igitur in casu, quem veramus, male ab Adversarijs afferunt inter formalitates diuinæ distincio virtualis in ordine ad prædicata contradictione essendi, & non essendi in eodem loco, in eodem ve spatio locali.

¶51 Immensitas ergo intrinseca Dei nullatenus potest dici virtualiter extensa eo titulo, quod ex diversis formalitatibus virtualiter inter se distinxerunt, & diversis locis correspondentibus compo-

sita sit; sed ut summum eo, quod, cum sit formalitas in se adhuc virtualiter simplex, necessitatem tamen inducit ad hoc, ut Deus in loco extenso ex ipsis loci suppositione præsens existat, prout iam expono.

Propositio 9.

Deus ratione suæ intrinsecæ immensitatis per sui totius localem replicacionem, sue repetitionem est præsens in omnibus locis imaginarijs, & realibus, in omnibusque partibus eorum, & rebus in illis existentibus. Eodemque pacto venit dicendus per ea omnia extensus localiter.

Ratio propositionis conspicua est. Quia res indivisiibilis in re divisiibili, & in omnibus partibus eius alter, quām per se totam existere nequit, cum careat partibus, ut constat. Hoc autem ipsum est, totam ipsam in omnibus, & singulis partibus rei divisiibili replicatam, seu repetitionem esse, atque ita in omnibus, & singulis illis per sui totius replicationem, sue repetitionem, existere. Hoc pacto iuxta sententiam omnium anima rationalis existit in omnibus, & singulis partibus corporis, & Angelus in omnibus, & singulis partibus spatiij localis extensi. Hoc igitur etiam pacto dicendum est existere Deus, ut potest indivisiibilis, in omnibus, & singulis partibus omnium locorum tam imaginariorum, quām realium, rerumque in illis præsentium, in quibus intimè, & penetrativè existit ratione suæ immensitatis. Quod adeò verum est, ut etiam admissa sententiæ (quam proposit. 8. reieccimus) de divisiibilitate virtuali præsentia intrinseca Dei in formalitates diuersas pro diuersitate partium locorum, & rerum, quibus Deus est præsens, necessariò dicendum sit, essentiam, & reliqua attributa intrinseca Dei in singulis dictis partibus per sui localem replicationem, sue repetitionem existere: quemadmodum in sententiâ ponente præsentiam Angeli divisiibilem pro divisiibilitate spatiij localis extensi, cui correspondet; eti ipsa præsentia sic in partibus talis spatiij per suarum partium localem distributionem; at substantia Angeli partibus expers non potest aliter esse in illis, quām per sui totius localem replicationem, sue repetitionem. Quod ergo de substantia Dei, & reliquis attributis intrinsecis in omni sententiâ necessariò est dicendum, id nos (prædicta sententiâ merito repudiata) dicimus de ipso itidem attributo immensitatis, sue præsentia intrinseca Dei, ac demum de rotâ entitate diuinâ, sue de toto ipso Deo; esse videlicet eum præsentem in omnibus, & singulis partibus locorum, & rerum per sui totius localem replicationem, sue repetitionem. Quomodo etiam supra disput. 5. quæst. 4. possibilem censuimus cum sententiâ communâ præsentiam creatam indivisiibilem correspondenter spatio locali divisiibili; atque ita tum se ipsam tum suum subiectum colligant in omnibus, & singulis partibus talis spatiij per sui virtutique localis replicationem, sue repetitionem. Quæ cùm ita sint, plāne consequitur, Deum per sui totius localem replicationem, sue repetitionem, extensem localiter esse penes extensionem locorum, & rerum, quibus ratione suæ immensitatis intimè præsens est. Quomodo autem ex eo, quod Deus indivisiibilis titulo suæ immensitatis nec-

necessariò sit penetratus per sui totius replicatio-
nem cum omnibus omnino patibus locorum , &
terum , necessariò inferatur , non posse non ipsa-
loca , & res ex puris tandem induisibilis physi-
cè composita esse , superius disput . 5. quæst . 6.
monstratum est .

¹⁵³ Iam verò ex doctrinā huius propositionis in-
fertur primò Deum à suā immensitate , sive præsen-
tiā intrinsecā præcisè sumptā nullam extensi-
onem actualē habere . Quia vniuersaliter loquen-
do , extensio actualis rei diuisibilis , partibusque
subinde carente propria , & intrinsecā extensionis
alia esse non potest ab ea , quam fortiter extrin-
secē , dum in partibus alterius rei diuisibilis , &
ab intrinsecō extensō aliquo modo replicata ,
sive repetita inexistit , ut satis superque ex se no-
tum est . Vnde , licet Deus infinitè extensus sit
actualiter penes extensionem spatiū localis circum-
quaque infiniti , cui actualiter præsens est , iuxta
doctrinam stabilitam quæst . 5. hoc tamen actualis
extensio à præsentia Dei actuali in toto ipso spa-
tio indistincta non magis necessaria est Deo ,
quam ipsum spatium est necessarium in se scilicet ,
ut pote quæ partim in præsentia intrinsecā Dei ,
& partim in spacio ipso reipsa constituit iuxta do-
ctrinam stabilitam proposit . 5. Et quoniam Deus
cum omnibus suis prædicatis intrinsecis infinitè
est magis necessarius in suo esse , quam huiusmo-
di spatium ; ab ipsoque omnino independens ,
sive cum ipso non connexus iuxta doctrinam tra-
ditam supra disput . 3. & 4. conficitur , exten-
sionem Dei actualē in toto spacio locali , etiā
metaphysicè sit necessaria penes necessitatē
metaphysicam ipsum spatium localis , infinitè tamen
minus necessariam esse , quam est ipse Deus , &
consequenter , quam est immensitas , sive præsen-
tia intrinsecā eius .

¹⁵⁴ Ex quo rursus sit , ut ex hypothesi absolutè
impossibili , quod spacio locale non esset , sive
desineret esse id , quod est , ita Deus nihilominus
permaneret cum omnibus suis intrinsecis per-
fectionibus , vt infinitè extensus localiter non
esser titulo immensi , sicuti modò est : maneret
tamen sic constitutus à suā intrinsecā immensitate ,
sive præsentia , vt non posset non esse infinitè
extensus , sicuti est modò , ex suppositione ,
quod esset ipsum spacio localis , sicuti est modò .
Quemadmodum ex hypothesi absolutè impossibili ,
quod omnis creatura desineret esse possibili-
bilis , ita Deus nihilominus permaneret cum om-
nibus suis intrinsecis perfectionibus , vt non esset
absolutè potens producere creaturas titulo omni-
potentis ; maneret tamen sic constitutus à suā in-
trinsecā omnipotentia , sive virtute , vt non posset
non esse potens producere creaturas , sicuti est
modò , ex suppositione , quod essent possibles
creaturs , sicuti sunt modò . Quanquam enim
immensitas intrinsecā Dei per se præcisè non
reddat ipsum extensem localiter ; reddit tamen
necessitatem ad hoc , vt si detur extensio
aliqua localis , per sui totius præsentiam in omni-
bus & singulis partibus eius extensem localiter
sit . Sicut , quaquam omnipotenta intrinsecā
Dei per se præcisè non reddat ipsum absolutè
potentem producere creaturas ; reddit tamen ne-
cessitatem ad hoc , vt si creatura sint possibles ,
absolutè potens sit producere illas .

¹⁵⁵ Secundò inferitur , verissimam esse senten-
tiam de præsentia Dei actuali in toto spacio lo-
cali , seu loco imaginario circumquaque infinito ;
quam cum plerisque Theologis contra alios

multos supra quæst . 5. statuimus . Nam iuxta
illam de facto habet Deus extensionem localē
actualē circumquaque infinitam , & consequen-
ter magnitudinem infinitam immensitatis pro-
prietam , qualēm ipsi haud dubie attribuunt de
facto sacræ Scripturæ , & Patres . Cū tamē
aduersa sententia hac mirabilē , & infinita perfe-
ctione , tametsi semiextrinsecā , defraudet Deum .
Siquidem iuxta eam solum habet Deus tantam
localē extensionem actualē de facto , quam
tamē habet Mundus ; & antequam conderet Mun-
dum nullam habebat . Vnde rursus apparet ,
(quod ibi etiam adorabam) , controversiam ,
concertationēque Doctorum eiusmodi senten-
tiarum oppositarum non esse de puro modo
loquendi , vt quidam putant ; sed de re , ipsa-
que grauissima . Recedit siquidem in contro-
versia de extensione locali Dei actuali , &
circumquaque infinita affirmandā , aut ne-
gandā .

Propositio 10.

Immensitas Dei quolibet modo sum-
pta attributum ipsius est distinctum à reli-
quis , qua ratione Diuina attributa sunt di-
stincta inter se .

Ira exprimunt , aut supponunt communiter
Theologi contra Smising , citatum supra num . 121 .
Etenim immensitas Dei sumpta pro attributo ip-
sius semiextrinsecō includente de connotato spa-
tium locale in suo conceptu reali iuxta superius
dicta non solum per rationem nostram , sed etiam
realiter est distincta à ceteris omnibus attribu-
tis , qua vel connotata distincta realiter , vel nul-
lum connotatum includunt in suo reali conce-
ptu iuxta generalem doctrinam de distinctione
attributorum supra disput . 2. traditam . Et
idem est , proportione seruatā , de immensitate
Dei prout insuper includente de connotato in
suo conceptu reali res existentes , in quibus
etiam Deus actualiter præsens est iuxta etiam
dicta propositionibus præcedentibus . Immensi-
tas vero Dei sumpta pro intrinsecō conceptu
cum ipso Deo identificato , & in immensitate
semiextrinsecā intrinsecē inclusa formalitas quæ-
dam Dei est à ceteris omnibus intrinsecis Dei at-
tributis formaliter , seu per rationem nostram
distincta & quæ , ac cetera intrinsecā attributa
formaliter , seu per rationem nostram sunt di-
stincta inter se iuxta doctrinam etiam vniuersa-
lem disput . 2. citatā traditam . Concupitur
enim à nobis cum fundamento in re immensitas
intrinsecā Dei tanquam forma , sive formalitas
quædam à ceteris omnibus formalitatibus Di-
uinis diuersa , clementiæque metaphysicā Dei me-
taphysicē superaddita , & necessariō annexa-
& quæ , ac cetera ipsius attributa intrinsecā ; à
qua vnicè euadit Deus determinatus , necessita-
tusque ad existendum ubique , sive in omnibus
omnino locis , & consequenter in rebus ipsis
præsentibus ex suppositione , quod sunt , qua-
ratione sunt ipsa loca , & res . Perinde , ac crea-
tura per formam quamdam , quam præsentiam
localē , sive vbiicationem appellamus , physicē
sibi superadditam , & inharentem determinata-
m , necessitataque euadit ad existendum in spacio
locali , cui ea sive cetera esentia correspondet iuxta
doctrinam supra statutam disput . 5. quæst . 1 .
Itaque , quemadmodum præsentia localis esen-
tia

Ita physica creatura physice superaddita vnicē præ cæteris accidentibus eius reddit eam necessariō præsentem actualiter in certo quodam spatio locali ex suppositione ipsius spatiū; accidensque proinde creatura est à cæteris omnibus distinctum, diversumque physicè, ita immensitas, sive præsens intrinseca Dei essentia metaphysicè ipsius metaphysicè superaddita; seu per rationem nostram vnicē præ cæteris incertis attributis eius reddit Deum necessariō præsentem actualiter in omni omnino spatio locali, & consequenter in omni re ipsi spatio præsente; attributumque proinde est ipsius Dei à cæteris omnibus distinctum, aque diversum metaphysicè, seu per rationem nostram. Contra quod certè singulariter, & absque idoneo fundamento opinatus est Smilungus.

157 Per quæ omnia sat, superque videtur explicata manere quiditas, conceptusque proprius immensitatis Diving, atque etiam ubiquitatis, sive præsens ubique Dei. Quod erat intentum propositum in præsenti questione.

QVÆSTIO VII.

Vtrum immensitas, ubiquitas, sive præsens ubique ita sit propria Dei, ut nulli possit creature communis cari.

158 Suppono primò ut apud omnes certum, ex sū, quod daretur corpus quoad trinam dimensionem, aque adeò circumquaque infinitum, & consequenter occupans totum spatiū locale, omnemque subiecte excogitabilem locum imaginariam iuxta dicenda latè inferius disput. 13. illud utique nec fore immensum, nec præsens ubique ea immensitate, & ubiquitate, de qua tractamus: quia non per se totum, sive per sui totius localem replicationem, prout ad ubiquitatem, de qua agimus opus erat, sed per suas partes, sive per suarum partium localem distributionem estet ubique, sive occupans omnem locum. Quod aliud, si genus ubiquitatis valde diversum. Ese autem tale corpus possibile, à Deoque proinde factibile de potentia absoluta, ex dicendis disputatione 13. citata comperiuin fieri.

159 Suppono secundò etiam ut certum apud omnes, immensitatem, ac ubiquitatem ea ratione, qua conpertit Deus per essentiam, & prorsus necessariò, nullatenus illi creaturae conuenire, posse; atque ita propriam Dei esse. Quia non potest quidquam conuenire creatura hoc ipso, quod creatura est, aliter, quam per participationem, & contingenter; utpote quæ vel suum ipsum esse existentia aliunde, quam ex Creatore, & alterius, quam contingenter, habere non potest, ut est notissimum.

160 Suppono tertio etiam ut certum, si per particulam ubique significetur dumtaxat omnis locus realis, facta suppositione, quod vnicus tantum est locus realis, ens in eo existens fore ubique. Quo sensu dixit S. Thos. 1. par. quæst 8. artic. 4. in corpore, sic granum milij esset ubique, suppositio, quod nullum aliud corpus es-

ser. Puta, vt conclusum in sua superficie, extimā tanquam in loco. Nam aliás ad aquam sumptum, vt non diceretur grantum milij esse in se ipso propriè tanquam in loco; sic neque dieceretur propriè ut sic esse ubique. Quid quid sit de locutione impropria, vel minus propria.

161 Suppono quarto etiam ut certum, si per particulam ubique significetur dumtaxat omnis locus realis, possibilis est creaturam, quæ per sui totius localem replicationem supernaturaliter saltem existat absolute ubique; hoc est in omni loco reali absolute existente, sive in toto Universo. Quia nihil vetat ponī à Deo aliquam creaturam latè de potentia absoluta in toto Universo per sui totius localem replicationem præsentem. Quandoquidem de facto Angelus sic præsens est etiam naturaliter in loco reali extenso, tametsi minore. Si enim Angelus de facto per sui totius localem replicationem spatium extensem, finitum replere potest potentia naturali, quid ni possibilis erit creatura aliqua, quæ possit patre replere quodlibet aliud spatiū, quantumvis maius, potentia saltem obediens, dummodo illud etiam finitum sit? Certè creaturam huiusmodi nullam secum ferre contradictionem, ex se videatur manifestum. Vnde plane sequitur, possibile quoque esse creaturam, quæ per sui totius localem replicationem supernaturaliter saltem replere possit quodlibet aliud spatiū finitum, quantumvis maius sit eo, quod replet Vniversum. Vtrum autem sit possibilis creatura, quæ per sui totius localem replicationem possit replete naturaliter quodlibet spatiū finitum, quantumvis magnum. Neconon creatura, quæ possit, & debeat replere illud essentialiter ex suppositione, quod existat, dubitationem habet in sequentibus dirimendam. Sicut etiam, an omnis creatura potens per sui totius localem replicationem aliquod spatiū finitum replere, eo ipso supernaturaliter saltem possit replere quodlibet aliud finitum.

*162 Suppono quintò etiam ut certum, nullam creaturam de facto esse præsentem per se totam in toto Universo, & consequenter neque ubique, sumpto ubique pro omni loco reali. Id quod imprimis tenent Patres, qui ex illo Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, colligunt, Spiritum sanctum esse Deum, supponentes nullam creaturam per sui localem replicationem totum terrarum orbem replere, ut Spiritus sanctus replet. Nullaque proinde per se totam in toto orbe terrarum præsentem esse. Ita Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. Hieron. & Caius. lib. in Psal. 138. Cyril. Alex. lib. 7. de Trinit. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 22. Didim. lib. 1. de Spiritu sancto. Fulgent. lib. ad Donatum. cap. 8. Vigil. in disputat. Athanasij, Arius, & Sabellij, August. lib. 3. contra Maxim. cap. 21. & alij. Deinde id ipsum constat ex Scriptura, & ex ratione naturali, quatenus iuxta vitramque Angeli, & enigmata rationales; quæ sola creatura titulo spiritualium possunt per sui replicas omnem spatium extensem connaturaliter replere, in suis determinatis locis, & valde exiguis comparatione Universi existunt, prout latius exponitur à Theologis in tract. de Angelis.*

163 His ita positis, tria dubia superfunt. Primum. An sit possibile, ut aliqua creatura supernaturaliter, deque potentia Dei absoluta per sui replicationem præsens ponatur in toto spacio.